

**Dissertatio inauguralis medico-legalis de differentiis partus vivi et vitalis ...
/ exponet Georgius Christophorus Baumgaertner.**

Contributors

Baumgaertner, Georg Christoph.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

Altorfii : Typis Joh. Georgii Meyeri, [1747]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tntvkbu5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30782041>

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICO · LEGALIS
DE
DIFFERENTIIS
PARTVS VIVI
ET VITALIS

QVAM
DIVINIS SVB AVSPICIIS
CONSENSV ET AVCTORITATE
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN CELEBERRIMA ALTORFENSIVM VNIVERSITATE
PRO LICENTIA
VM MOS IN MEDICINA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORIS
LEGITIME CAPESSENDI
D. III IANVARII A. S. R. CLOCC XXXXVII
PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI
EXPONET
GEORGIVS CHRISTOPHORVS
BAVMGAERTNER
SVINFVRTHENSIS.

ALTORFII

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.

117. **Б**иблия
и матта
блатин

1901-1902 CABLES AND
1901-1902 CABLES AND

George Christopher

BAMIGAERTER

SAINCTA VITAE IN S. BERNARDI

VIRO
PERILLVSTRI AC GENEROSO
EXCELLENTISSIMO QVE
DOMINO
CHRISTOPH. CONRADO
DE BAVMGAERTNER
SERENISSIMI S. R. I. PRINCIPIS
ET MARCHIONIS BRANDENBURGICO-
ONOLDINI
MINISTRO STATVS
CONSILIARIO INTIMO
NEC NON
AD SPLENDIDISSIMI CIRCVLI
FRANCONICI CONVENTVM
QVI NORIMBERGAE EST
LEGATO PRIMARIO
LOTVA

DOMINO AC M AECENATI SVO
PER QVAM GRATIOSO

HANCCE INAVGVRALEM
MEDICO - LEGALEM DISSERTATIONEM
IN TESTIMONIVM
DEMISSI ET GRATISSIMI ANIMI
CVM VOTO
VALETVDINIS INTEGERRIMAE
VITAE LONGAEVAE
PERPETVAE QVE FELICITATIS

OMNI

QVA DECET
REVERENTIA ET DEMISSIONE
OFFERT DICAT DEDICAT

AD SPLENDIDISSIMI CIRCVITI
BRAGONICI CONVENTUM

CVLTOR ET CLIENS
OBSEQUENTISSIMVS ET OBSERVANTISSIMVS
A V T O R.

A. Ω.

PRO O E M I V M .



Verba valent sicut nummi: quod vulgari proverbio dicitur. Nec omnino a vero aliena est sententia, et nummi cum verbis multiplicem admittunt comparationem. Sicuti enim, si nummis certum alicubi statutum est pretium, nemo, istius valoris peritus, periculum damni subire poterit, sive in numerandis, sive recipiendis pecuniis: ita quoque, si verbis quibusdam certus et definitus assignatus est sensus, isque communi omnium suffragio confirmatus; fieri non potest, ut quisquam in errorem valoris et significatus istiusmodi vocabuli illabatur. Ex adverso, si dubium nummorum quorundam pretium sit, et valor eorum alias ab hoc, alias ab illo, statuatur populo; saepe accidit, ut alter praeter opinionem aliquid lucretur, alter vero praeter spem damnum patiatur. Pari modo, si vocabulis quibusdam nondum constet certa aliqua et definita notio, sed ab aliis hac, ab aliis vero alia ratione usurpari soleant; necesse est, ex ambiguitate ista, et promiscuo verborum usu, varios errores nasci. Vnde enim tot contentiones eruditorum, tot criticorum controversiae, tot philosophorum disputationes, suboriuntur, quam ubi verbis ali-

um; eumque vel iusto maiorem et ampliorem, vel solito angustiorem, vel denique prorsus alienum, significatum tribuant? Saepe meliora speranda, et certiora fuisse sent eruenda, si idem eiusdem vocis valor ubique constitisset. At vero, promiscuo verborum usu factum est, ut non raro in gravissimos seducti sint errores Viri quidam ceteroquin doctissimi. Id ipsum videre licet ex eo, quando partus virius atque vitalis saepissime pro uno eodemque iudicatus est a multis; cum tamen alii diversam utrisque nominibus vim non sine ratione tribuerint. Ut itaque pretia istorum verborum vera et genuina eruantur, noxia vero utrorumque nominum confusio in posterum evitetur; operae pretium erit, in id sedulo inquirere, an, et quomodo partus vitalis a vivo discrepet? Cum enim apud iuris peritos, et in foro litigantium civili, saepius hac de re quaestio existat, quae potissimum e fundamentis medicinae genuinis decidenda est; ideo speciminis inauguralis loco, iusu et consensu inclytæ Facultatis Medicae in hac celeberrima Altorensium Musarum sede, mihi proposui, de differentiis partus vivi atque vitalis quaedam differere, ita quidem, ut quantum medicina ad litem hanc dirimendam faciat, ad illud vel maxime respiciam, aliisque legum iuris cultoribus ea relinquam, quae e foro iuridico amplius hac de re investiganda supersint. Faxit DEVS Ter Optimus Maximus, ut labor iste multorum hominum commodis inserviat!

DE
DIFFERENTIIS
PARTVS VIVI ET VITALIS.

§. I.

Non vana est disceptatio , non sterilis logomachia , Ratio tractandi argumenti nec levioris causae argumentum , serio disquirere , an ? et quomodo partus vitalis a vivo distinguendus sit ? si enim in hanc rem penitus inquiramus , ex natura et gravitate huius problematis sua sponte elucescit , quaestionem hanc non levioris , sed certe maxi-
mi momenti causam , ideoque investigatione hoc magis dignam esse , quo magis necessarium ac utile est , discrimen , quod inter utrumque partum intercedit , luculentius evolvere , atque apertius docere. Non medicorum tantum interest , haec tractare , sed etiam in variis casibus forensibus haec moveri et agitari solet quaestio ; siquidem ab illa interdum vita et mors , honesta fama et bona , pendent , et neglecta eius rei cura , fieri potest , ut aequa immerge-
ti ultimum supplicium inferatur , ac alter , qui mortis poe-
nam bene promeruit , impunis evadat. Si decisiones et responsa quaedam perlustramus ; non raro inveniuntur casus , in quibus sanctitas iustitiae , praeter opinionem iudicis , maculis cuiusdam impietatis inquinata , et nonnullorum iuribus non parum derogatum est , ideo , quod haec quaestio aut non satis mota , aut minus rite decisa fuerit. Evidem haud negaverim , ab antiquis Medicis , eorumque placitis , utpote quibus leges quaedam forenses innituntur , huiusmodi errores promanasse. At enim vero , sicuti nostris hisce temporibus fundamenta medicinae maximam partem magis exculta , et naevi quidam pristinae eius doctrinae emendati sunt ; ita aequum est , ut vana antiquorum praeiudicia

non tantum e medicina removeantur , sed etiam errores , qui inde in Iurisprudentiam irrepsero , simul ex hac legum doctrina evellantur , ac veritatis nitor luci publicae restituatur , ut illi , qui Themidis puritatem polluere verentur , melius certiusque intelligent , cuinam sententiae tutius subscribendum sit. Hanc ob causam celeberrimi quidam Medicis differentiam partus vivi et vitalis in libris medico - forensibus docendam sibi quidem sumserunt ; at plerique breviter saltem eam pertractarunt. Quoniam tamen haec res uberiore investigatione omnino digna est ; hinc paullo plenius illam nunc pervestigandam censui , ut pateant rationes , ob quas a nonnullis veterum placitis recedere , et legum quarundam tenorem aliquantum mutare , fas sit. Nam statim quidem possem praemittere insignem utilitatem , quam sollicita huius quaestio medico - legalis disquisitio secum afferat ; ast cum in ipsa tractatione passim exempla occurrant , quae usum illius satis docere possint : hinc illud ipsum in fine dissertationis huius breviter recensendum differo ; nunc initium facturus ab iis rebus , quae ad illustrandum argumentum nostrum , et ad vocum interpretationem faciunt , quibus dilucidatis , ad docendam et comprobandum , limitanda inque partus vivi et vitalis differentiam progrediar , usum et necessitatem eius ad extrema referatur.

§. II.

Quid par-

tus ? Quoniam *partus* vocabulum vario sensu accipi solet ; necesse est , notionem eius nunc evolvere , ut quilibet certus evadat , quo sensu nomen illud hac in quaestione usurpetur. Partus enim , a *pariendo* dictus , proprie et frequenter denotat ipsum parturiendi actum , quo foetus in hanc lucem naturali ratione editur. Deinde , licet minus usitate , modo pro puerperio , modo impropre et rarius

pro

pro abortu , sumitur. De his vero mihi nunc sermo haud est ; sed hoc loco , ubi de partu vivo et vitali quaeritur , *partus* nomen usurpari solet pro ipso foetu , seu infante *re-*
cens edito , eoque sive per partum naturalem excluso , sive
per sectionem caesaream extracto , utpote in quo sensu etiam
leges partus vocabulum admittunt : *Add. l. necare 4. ff. de*
lib. agnosc. l. septimo 12. ff. de statu hom. l. Non sunt 14.
ff. eod. l. interstipulantem 83. §. si quis 8. ff. d. V. O.
Non tamen nego , partum etiam pro foetu , in utero adhuc
latente , aliquando a non nullis , sed improprie , assumi ,
si scilicet de vita eius quaestio moveatur. Denique notan-
dum est , me tantum de partu *hominis* , seu *foetu humano* ,
non vero de qualicunque animante , neque de monstro ab
humana specie alieno , neque de mola , vel alia praeterna-
turali re , per partum ex utero excreta , sermonem facere.

§. III.

Nunc ordo requirit , ut monstrem , quid sit *vivus* et *vitalis* partus ? Vtraque vocabula ortum suum trahunt a *vivendo* , vel a *vita* , ideoque eandem originem atque significationem habere videntur. Quemadmodum autem raro , aut vix unquam , duo occurunt nomina , quae eundem sensum perfecte comprehendant ; ita pari modo haec duo nomina , vivi nempe et vitalis , comparata sunt , ut non exacte inter se convenient. Quodsi enim eorum definitio-
nem et usum intimius perspiciamus , quomodo non tam grammaticē , latine , et promiscue , sed in sensu strictiori , Medicis ac Iuris consultis usitato , cum aperto rei designatae discrimine intercedente , in usum veniant ; statim invenimus , ipsis non aequalem omnino sensum , sed distinctum , tribui posse. Siquidem si modum et formulas loquendi , quibus ENNIVS , CICERO , VIRGILIVS , PLINIVS , VEGETIVS , aliique his vocabulis usi sunt , sub examinis incudem revo-

cemus ; non possumus non fateri , hos celebres latini sermonis antistites aliam notionem sub nomine *vivi* , aliam vero sub *vitalis* verbo , comprehendisse. Nolo singulas hic percensere et illustrare sententiarum formulas , quibus laudati modo Auctores sensa animi sui exposuere. Satis enim intelligimus , illos , dum *membra vitalia* , *sanguinem vitalem* , *colorem vitalem* etc. allegant , ipsos satis cognovisse , nomen *vivi* id ipsum haud , quod *vitalis* , denotare potuisse. Nam *vitalitas* magis involvit potentiam vivendi , vitamque iuvandi ac prorogandi ; cum ex adverso *vivi* vocabulum saltem praesentiam et actum ipsius vitae indicet. In sequentibus enim videbimus , rem ipsam , inter se distinctam , distinctis etiam nominibus compellandam esse , atque magis e natura rei , quam e vanis speculationibus , differentiam hanc promanare. Tantum enim abest , ut haec discrepancy novitatem sapiat , aut naturalem vocum interpretationem invertat , iisque vim inferat ; ut potius tam consuetudini , quam rationi , omnino conveniens sit , laudandique sint illi medici et iuris consulti , qui cuiilibet istorum verborum suum propriumque sensum tribuere haud intermiserunt. *Vivus* enim idem est , ac *vivens* , seu , quod *actu vivit* ; *vitalis* vero , quod non modo vivit , sed etiam *vitam babere* , *eamque promovere et protrahere amplius valet*. Accedamus itaque ad definitiones medicorum celeberrimorum , quibus partum vitalem a vivo distinguunt.

§. IV.

Quid se- Etiamsi multos scriptores medicinae legalis evolvas ;
orsum vi- paucos tamen invenies , qui partum vivum et vitalem seor-
vus sit sum , adaequate et distincte , definiverint. Exinde vero fa-
partus , et quotu- ctum esse iudico , ut iuris consulti plerique in discernendis
plex ? his vocabulis haud adeo solliciti fuerint , sed utrisque pro-
miscue ,

miscue, quasi eundem sensum obtinerent, saepissime usi sint. Ex iis vero Auctoribus, qui maiorem curam in distinguendo partu vivo et vitali adhibuerunt, eam lubet praemittere definitionem, quam Ill. TEICHMEYERVS habet. a) *Vivus*, inquit, *partus dicitur, qui vivus quidem excluditur, et exclusus per aliquot momenta diesve in vita potest subsistere; ob immaturitatem tamen diu vivere, vitamque continuare haud valet.* Hic alias dicitur *debilis, immaturus, praeternaturalis, abortivus.* Nemo non uidet, hoc loco Auctorem nominatum de partu tantum vivo, simpliciter tali, eoque non vitali et abortivo, sermonem fecisse, ac magis specialem eius sensum, quo scilicet vitali partui opponitur, allegasse; generalem vero eius conceptum silentio praeteriisse, cuius tamen mentionem inieciisse, res ipsa postulat. Si itaque hanc rem accuratius pervestigemus; non possumus, quin duplicem partus vivi descriptionem suppeditemus. Fieri enim potest, ut certo respectu partus vitalis saepius dici simul possit ac debet *vivus*; ideoque utraque vocabula interdum commode coniungi, (etiamsi non invicem commutari,) queant. Alio vero respectu eaedem voces simul stare nequeunt, sed sibimet vicissim opponuntur. Hinc necesse est, *duplicem distinctamque partus vivi definitionem adstrui, aliam nempe magis generalem, et ampliorem; aliam vero specialem magis et angustiorem.*

§. V.

Generatim quidem et sub latiori termino, *partus vivus* Quid videm est, ac *vivens*, sive *is*, qui *actu vivit*, sive *infans*, ^{vus in genere, et} qui partu editus, vixit, et indicia quaedam vitae praesentis ^{latori} post partum de se prodidit. Hoc sensu partus vivus vitalis sensu non omnino contrariatur; siquidem partus tam vitalis, quam

non

non vitalis sub vivo partu militat. Vitalis enim etiam vivus edi solet; et licet non vitalis in hanc lucem prodeat, vivus tamen nihilominus aliquando nascitur, et criteria vitae monstrat. Hoc itaque intuitu uterque partus, vivus scilicet et vitalis, interdum convenire solent; licet non semper coniungi possint. Quamvis enim omnis partus vitalis, quamdiu actu vivit, cognominari possit vivus; attamen non vacat, vicissim affirmare, quod omnis partus vivus etiam sit vitalis. Probe enim tenendum, duplicis generis foetus *vivos* propigni, *vitales* nempe, et *non vitales*. Non raro enim entuntur feminae foetus vivos quidem, ast non vitales. Vitalitas etiam plus involvit hoc loco, quam simplicem vitam, id quod in sequentibus apertius patebit. Sicuti vero ex his constat, vitam infantis qualemcumque non absolute vitalitatem, proprie sic dictam, simul comprehendere, sed aliquando hac destitui: ita intuitu huius conditionis, (dum nempe partus *simpliciter vivus*, at *non vitalis*, intelligitur, atque *vitali partui opponitur*,) sensum *strictiorem et magis proprium*, solamque *vitam sine vitalitate* respicientem, vocabulo partus vivi tribuere fas est, quem in modum supra allegata TEICHMEYERI definitio, quae *simpliciter vivum et non vitalem* describit, admitti potest; ad quam etiam accedit illa, quam SCHV-
RIGIVS b) habet, dum ait: *Partus, seu foetus vivus, vocatur, qui vivus in mundi theatrum ex utero materno progreditur, atque post talern exclusionem per aliquot momenta, horas, dies et septimanias vita equidem fruitur, ob aliqualem vero (seu potius naturalem) debilitatem vel immaturitatem post paucum temporis interstitium vivere definit, uti nonnunquam in foetibus abortivis adnotatur.* Adhaec praemonendum duco, postremo hoc et *strictiori* usurpandi modo, partus vivi nomen in hac dissertatione mihi usu venire, ubi *simpliciter pro vivo, et non vitali sumitur, adeoque vitali opponitur.*

§. VI.

Quid *vivus* partus
in strictio-
ri sensu?

b) in embryolog. Sect. X. Cap. IV. §. 3. p. 886.

§. VI.

Iam quid? et quotuplex partus vitalis sit? dispiciendum. Quid? et quotuplex dum. Evidem, si ad usum vocabuli vitalis respiciamus, fit partus illud tam a medicis quibusdam, quam a Iurisconsultis, vario modo usurpari animadvertisimus. Modo enim *laxiorem* et *impropriam*, modo *strictiorem et propriam*, significationem admittunt. Quin imo FR. HOFFMANNVS c) triplicem vim eidem nomini tribuere haud dubitat. Nimirum embryonem statim a conceptione vitalem dici posse statuit, simul nempe, ac punctum saliens sub formatione partium moveri, et primis mensibus humores per corculum et vasa agitari cooperint, licet mater hunc motum, ob partium foetus teneritudinem, nondum percipiat. Deinde vitalem esse putat medio gestationis tempore expleto, quo mater foetum sese apertius in utero moventem persentificat. Tandem ubi foetus perfectam partium conformatiōnem accepit, ita, ut etiam extra uterum in libero ære vivere, lacte et alimentis congruis nutriri, ac adolescere ualeat; tunc *foetum uitalem*, et quidem *proprio nomine*, compellari posse concludit. Nemo non perspicit, binis prioribus modis notionem partus vitalis nimis laxam, minus usitatam, et, ceu ipsemēt Author fatetur, non nisi *impropriam* esse, atque cum vivo foetu permutatam; postrem autem interpretationem rectius magisque adaequate foetui perfectiori, eoque extra uterum ad diutius vivendum magis idoneo, adiudicari posse, utpote quem significatum tam Medici, quam ICTI, si quidem voces cautius adhibere praeoptarint, hactenus usu receperunt. Neque vero is sensus ab antiquissimo Latii genio recedit. Si enim ad fontes latinos revertamur, et a prisca aetate usum nominis vitalis repetamus; facile convincimur, illud maiorem potestatem

B

innue-

c) In medicinae Consultat. Part. V, Dec. III, Cas. 3. p. 181.

innuere, quam vivum. Ita *causam uitae* simul involvere intelligimus ex LVCRETIO d), ubi cecinit:

Vivit, et aetherias vitales suscipit auras.

et alibi e):

- *supra docui, quae sint vitalia nobis.*

HORATIVS f) durationem vitae comprehendit, dum ait:

- - - *O puer, ut sis.
vitalis, metuo.*

LIPSIVS g), SENECA M interpretaturus: *Vitalia*, inquit, *mansura, vitum et aevum ferre possunt. Praetermitto vitalem spiritum, facultatem, motumque vitalem, aliaque antiquis temporibus usitata cognomina. Certum enim est, haec, itemque viscera, ideo cognominari vitalia, quod non tam vivant, quam vitam potius sustineant, foveantque. Par ratione in institutionibus medicis *actiones* quaedam vocantur *vitales*, non, quod vitam praesentem tantum indicent, sed etiam illius perseverantiae potior causa existant. Quin imo suauorem et perfectiorem vitam ex amicitia declaraturus CICERO h), ENNII sententiam mutuatus, quaerit: queis potest esse vita vitalis? Ex his vero satis elucescere existimo, nomen *vitalis*, usu magis proprio acceptum, non vitae tantum praesentiam, sed eius quoque *causas, effectum, durationem et praecellentiam generatim, et respective simul*, involvere. Eundem sensum de *partu* quoque *vitali* apud antiquos obtinuisse Medicos, testis est CELSVS i), ubi, causas abortus ex tempestate repetiturus, tandem ita loquitur: *Gravidae quidem*.*

d) de rerum natura, Lib. III. vers. 406.

e) Id. Lib. VI. v. 1092. f) Lib. II. Sat. I. v. 60. 61.

g) in Epist. Senec. 39. p. 242.

h) de Amicitia, Cap. VI.

i) de Medicina, Lib. II. Cap. I.

dem feminae , quibus tum (potius nondum *) adest partus , abortu periclitantur : hae uero , quae gignunt , imbecillos , vixque vitales , edunt . Hoc postremo loco CELSVS , de legitimo et perfecto pariendi termino locutus , imbecillos et vix vitales vocat eos , qui , . et si naturali , et ad longius vivendum apto , termino nati sint , nihilominus tamen in vita vix , seu rarius ,

B 2

mane-

* Hac occasione non potui , quin locum hunc CELSI corruptum , et a doctissimis Medicis praetermissum , nunc emendarem . Id enim privatim edocitus sum ab Excellentissimo Dom . Doct . WEISIO , P . P . et in Academia Altorf . h . t . Rectore Magnifico , Patrono et Praeceptore meo , nunquam non devenerando . Novae quidem CELSI editiones , ALMELOVENIANAM secutae , tum habent , utpote quam lectionem R . CONSTANTINVS margini editionis suae Celsiana , A . 1566 . impressae , adscripsit . At vero cum in textu ipso , et in aliis vetustioribus exemplaribus , inveniatur vocabulum dum : id ipsum ad veriorem prioremque lectionem paravit viam , sensu que verborum inter se bene comparato , docuit , particulam non ex Scribarum negligentia omissam , atque pro dum , vel tum , legendum esse nondum , vel nedum , aut necdum . Verborum enim rerumque nexus hanc emendationem requirit . Nimirem CELSVS partum tempestivum , seu naturalem , hoc loco opponit abortivo , seu praeternaturali . Dicit : quae gignunt gravidae , scilicet quibus naturale pariendi tempus adest , et quae alias vitales et fortes infantes eniterentur , hac interveniente noxia aëris vernalis tempestate , imbecillos et vix vitales edunt : ex adverso gravidae , quibus nondum adest partus , seu tempus pariendi naturale , abortu periclitantur . Non video , quomodo dum , vel tum , hoc loco admitti possit ? Quomodo enim femina abortu periclitaretur , seu periculum metuque abortiendi incurreret , si iam dum , vel tum , adest , seu actu praesens esset , partus ? Illae potius feminae , quibus nondum pariendi tempus adest , abortum patiuntur . Ideoque patet , Authoris mentem inverti , sive dum , sive tum , adscribatur ; eam vero certius meliusque explicari , si nondum , nedum , vel necdum , restituatur .

maneant superstites. Vnde patet, apud Romanos olim eos foetus cognominatos esse *vitales*, qui *durabiles extitere et adolevere*. Hippocrates, ubi de partu octimestri loquitur, utitur uocabulo *περιγένεσθαι*, quod interpretum latinorum alii expressere *vitalem*, alii vero *superstitem in vita effe*.

§. VII.

Quid sit
partus vi-
talis in
specie?

Minori nunc negotio eruere possumus, quid *propria significazione sit partus vitalis*. Nam non tantum e natura et usu vocabuli vitalis, sed etiam ex antiquorum aequo ac recentiorum medicorum consensu, cui etiam ICTi plerique nostris temporibus adstipulantur, abunde patet, ad vitalitatem infantis non modo requiri, ut vivus edatur, et signa quaedam vitae de se prodat, sed etiam opus esse, ut extra uterus diutius vivere, et *in vita superstes natura sua esse possit*. Ideoque *partus vitalis* *is est infans, qui non solum vivus excluditur, sed etiam, ob maiorem organorum partiumque perfectionem, in hac vita subsistere et adolescere solet et valet*. Huc enim redeunt definitiones partus vitalis, quas ZACCHIAS *k)*, TEICHMEYER *l)*, GOELICKE *m)*, ALBERTI *n)*, aliique habent. In sequentibus quaedam simul occasio differendi occurret, quoisque partus iste vitalis cum *legitimo, perfecto, maturo, et naturali* conveniat, aut ab his discrepet? Cum enim interdum edantur infantes, vitales quidem, ast qui praematro tempore, et ante naturalem consummatumque gestandi pariendique terminum nati sunt, ideo-

k) Quaest. med. leg. lib. I. tit. II, quaest. I. 2.

l) citat. loc. Quaest. III. p. 52.

m) in medic. forens. cap. de foetu octimestri vit. §. I. p. 7. et spec. I. seqq. I. §. 4. p. 5. seqq.

n) Syst. iurispract. med. P. I. p. 141. §. 3. et p. 142. lit. (f)

ideoque rarius in hac vita remanent; alii vero consuetum et naturale nascendi tempus attingant, atque perfectam hinc maturitatem adepti, saepius et frequentius supervivunt: necesse est, ut *vitales* partus rursus dispescamus *in magis et minus tales*, saepius, vel rarius, *vitales*.

§. VIII.

Ante quam ad differentias partus vivi et vitalis accē-
dam, monstrasse iuvabit, *an?* et *quatenus utrique inter se* quomodo
conveniant? Si enim eas docuerim rationes, quibus positis *conveni-*
ambo coniungi possint; hoc ipso eas removeo *conditions*,
quibus vicissim sibi non adversentur. Namque haud nega-
verim, utrumque partum certo respectu simul stare, eun-
demque natum aliquando tam vivum, quam vitalem, pro-
nunciari posse. Etenim si femina, absoluto iam naturali et
consueto gestationis tempore, scilicet in fine noni, vel sub
initium decimi graviditatis mensis, foetum, omnibus nu-
meris absolutum, perfectum, vegetum, maturum, vivum-
que enitatur; nemo negabit, huncce partum simul et vi-
vum, et vitalem, cognominari oportere. Ita nempe utra-
que nomina, et quidem saepius, sine contradictione con-
iungi posse, certum est. Quinimo, si nomen vivi partus
latiori sensu acceperis; notio vitalis adeo cum illo coniun-
cta est, ut, ceu supra § V indicavi, *vitalis partus sit quae-
dam species vivorum in genere*, nec vitalis, nimirum actu-
talis, unquam dici recte possit, nisi qui vivat. Mortuum
enim foetum actu vitalem cognominare haud licet; nisi sepa-
ratim, et a vitae praesentia abstrahendo, a sola partium
perfectiore et naturali, eaque prae imperfecto respective
maiori, ad vivendum dispositione, ad *potentiam* eius vi-
vendi et adolescendi argumententur; utpote quo sensu non
nunquam infantem, etiamsi mortuum natum, vitalem ta-
men vocant, dummodo maturus et perfectus quoad singula

membra et satis magnus fuerit. Tunc enim magis ad partium integritatem, quam ad vitam nati, respiciunt. Equidem talis foetus proprie vitalis dici nequit, sed maturus saltem et perfectus, de quo infra plura edisseremus, utpote quem Const. Crim. Caroli V, Articulo CXXXI, vocat, *ein vollkommen und gliedmäsig Kind.* Quemadmodum autem ex antecedentibus abunde intelligimus, *partum vivum non semper, nec prorsus et absolute, sed certis saltem sub conditionibus, a vitali divelli,* ideoque utrumque interdum coniungi posse; ita mirum non est, cur non solum aliqui Medicorum, sed etiam non nulli ex Ictis celeberrimis, quos iam nominare reverentia vetat, aequo pristinis ac nostris temporibus, hisce vocabulis sine discrimine usi sint, eaque promiscue permutarint vel in iis casibus, ubi necesse fuisset, singula ab invicem distinxisse. Quamvis enim asserere queam, hunc vel illum, vel prorsus *omnem, partum actu vitalem, simul vivum* dici posse, imo respective vivum existere debere: haec tamen *propositio non omnino est convertibilis*, nec vicissim audacter ubique asseverare licet, *omnem partum vivum etiam esse vitalem;* siquidem, ut supra monui, non raro eduntur infantes vivi quidem, at non vitales, utpote quae negativa particula absolutam affirmandi vim excludit; id quod ex differentiis utriusque partus amplius patebit.

§. IX.

Rationes
differen-
tiarum.

Dum autem proprius ad scopum mihi propositum, scilicet ad *differentias utriusque partus* eruendas, accedo; variae se offerunt rationes distinguendi. Non enim tantum partus *vivus, qua simpliciter talis, et seposito vitalitatis sensu* contemplandus, a vitali recedit, sed etiam *ubi vivus cum non vitali coniunctus est,* hoc magis a vitali differt, *quo apertius vitalis a non vitali dissidet,* et ambo sibi invicem

oppo-

opponuntur. Ut autem fundamenta et fontes utrumque partum distinguendi ad certas classes redigam ; commodum erit , differentias partim ad *formam et essentiam* , partim ad *causas* , et denique ad *effectum* referre , quibus nempe modis varias distinguendi rationes inesse statim videbimus.

§. X.

Quantum ad *formam* attinet , sequentia occurunt argumenta , vivum a vitali partu discernendi , quae ut , maiori formae. perspicuitatis causa , in certum ordinem redigam , primum de *partu vivo qualicunque* , (*sive vitali , sive non vitali* ,) deinde de *vivo et non vitali* , sermonem faciam , et utrumque *vitali* opponam . Evidem *vivus* infans non nisi mortuo e directo obstat , nec vitali ita , uti non vitalis , adversari videtur : nihilominus tamen varia discriminis momenta inter vivum et vitalem occurunt . *Vivus* enim partus , seu *simpliciter vivens* , (quod antea aliquoties inculcavi ,) proprio strictiorique sensu nil amplius denotat , quam meram vitae in infante praesentiam , non vero simul vitalitatem , proprie sic dictam , semper et absolute comprehendit . *Vitalis* vero partus insimul causam perseverantis vitae , et naturalem diutius vivendi potentiam simul innuit , vitamque ipsam involvit ; eoque intuitu *maiores ambitum* habet , quam nomen vivi . Porro de *embryone* quidem et *omni foetu abortivo* , dummodo vivens prodeat , dicere possumus , quod sit *vivus* , id quod de foetu quoque , simul ac illum animari credunt , enunciant ; verum neque de *embryone* , neque de *abortu* stricte dicto , neque de foetu quolibet sese in utero movente , aut nuper animato , proprie enunciare licet , quod sit *vitalis* . Quodsi vero speciatim *vivus foetus non dum vitalis est* , tunc natura sua magis differt a *vitali* . Nam aetas ipsius a primo conceptionis ortu ad tempus usque illud , quo utero egressus est , brevior , magnitudo corporis minor , imper-

imperfe^ctio autem organorum maior, sicuti in §. XIII e signis partus non vitalis cognoscemus; adhaec, qui nondum vitalis est, semper intempestive, iniusto et praematro tempore, eoque a naturali partus termino remotiore, ex utero excluditur *immaturus, imperfectus et abortivus*. Aliter vero se habet cum partu vitali. Is enim aetate sua, a conceptionis momento computata, *adultior*, nec non *magnitudine*, et *perfectione organorum maior*, atque vel iusto tempore, vel saltem termino partui naturali *propinquiore editus, maturus*, vel saltem ad maturandum extra uterum aptior natus, nec stricto sensu *abortivus*, existit.

§. XI.

Respe^ttu causarum. Intuitu *causarum*, vitae quidem ratio in utrisque eadem, scilicet generatim a circuitu sanguinis pendens: dispar tamen in illis est causa vitae extra uterum continuandae. *Vivus enim, at nondum vitalis*, vitam suam extra uterum, et sine matris concursu, in libero aere diu prorogare nequit, nec unquam adolescere valet, sed *dum spirat, expirat*, nec alimentis extra uterum frui, aut iisdem refici valet; siquidem, ex praeternaturali et abortiuo uteri nisu excernendi, nimis praemature illo eiicitur; conformatio quoque *imperfecta*, organa nondum satis durabilia, et ad maturandum haud sufficientia. Quamvis enim partes corporis principales et essentiales vitae adsint; attamen robore et perfectione ista, quae ad vitam protrahendam amplius requiritur, ob teneritudinem suam destituuntur. Ex adverso, *vitalis* partus causas vitae provehendae simul involvit. Nam *organ^a* sunt *perfectiora*, atque motibus tam vitalibus, quam naturalibus quibusdam necessariis, imo animalibus non nullis, edendis magis accommodata; siquidem foetus vitalis diutius in utero remansit, et ad legitimum usque nascendi tempus, vel saltem non longe ab illo consueto pariendi termino distans,

stans, in utero commoratus, adeoque idoneus evasit, ut non solum extra uterum vivere, sed etiam alimenta et aerem ferre, atque tam diutius vivere, quam adolescere possit, nisi aliae occasioales causae interveniant, quae ipse potentiam vivendi eripiant.

§. XII.

Tandem, quod ad *effectus* attinet, non parum discrepat par-
tus vivus a vitali. Evidem effectus aliquos iam in antecedentibus allegavi, scilicet, quod vitalis infans, diutius et extra uterum solus vivere, auram sine incommodo haurire, superstes manere, lac sugere, aliosque vivacis foetus effectus praestare valeat, quibus vivus, at non vitalis, perficiendis natura sua haud sufficit, utpote qui non diu post partum necessario moritur, nec in vita servari potest. Taceo quoque effectus illos, qui a *ICtis* vitali, non vero simpliciter vivo, partui tribui solent, tam quoad hereditatis successionem, quam quoad alia privilegia.

§. XIII.

Vt autem partum vivum a vitali eo melius possimus distinguerem, non abs re erit, quaedam annexere *signa*, quibus a se invicem discerni queant. Ecquid enim iuvat, differentias quasdam nosse, nisi criteria adsint evidencia, quibus utriusque dignosci possint? In antecedentibus §phis varia quidem indicia iam allegata sunt: attamen cum plura adhuc supersint, quae silentio haud praetereunda sunt; ideo breviter signa ista huc colligam. Ita *vivum partum* denotant omnia ea, quae *vitam praesentem* indicare solent, scilicet pulsus cordis et arteriarum, motus membrorum, respiratio, vagitus, aliaque. At enim vero, sicuti infantes vitales eosdem de se effectus produnt, licet gradu preceps non vitalibus eminentiori; ita necesse erit, ad differentiam partuum istorum apertius docendam,

dam, signa partum non vitalem, etiam si vivum, indicantia
 praemittere, deinde eadem cum signis vivi et vitalis foetus
 comparare. Partus itaque non vitalis statura corporis bre-
 vior, magnitudine minor, et quidem proportio inter magni-
 tudinem capitis, trunci, et artuum alia, ita quidem, ut ca-
 put respective maius sit ad reliqui corporis magnitudinem;
 quaedam quoque adest imperfectio membrorum, cutis nimi-
 um tenuis, vasculosa, rubicunda, et ferme pellucida, fonta-
 nella capitis solito amplior, cranii quoque ossa latius ab in-
 vicem dehiscunt, et respective minus dura, sed non nihil
 mollia adhuc existunt, oculi semiclausi, continua fere somno-
 lentia, aures depresso, vel adhuc oppilatae, artus teneriores,
 vel plane imperfecti, ita quidem, ut, quo minus infans ad
 septimestrem, vel sextimestrem, partum aetate sua accedat,
 eo imperfectiora sint membra, unguis nempe et pili capitis
 deficiant, vel saltem loco unguium membranulae tantum
 conspiciantur. Porro alvum non exonerant, nec urinam red-
 dunt, nisi rarissime, et adeo debiles prodeunt a partu, ut
 vix quaedam vitae indicia exhibeant, nisi spirituosis et ner-
 vinis remediis refocillati in vitam revocentur. Neque vero
 vagitum sonorum edunt, sed debili et suppressa voce tantum
 non pipiunt. Sugere etiam lac matris, papillasque mamma-
 rum prehendere satis et tenere, nequeunt, et licet iisdem lac
 instilletur, aegre tamen illud absorbent et deglutiunt; crassis
 autem pulmentis facile suffocantur. Aërem quoque liberum
 ferre haud valent; a frigida autem aura protinus opprimun-
 tur: ideoque calore fornacis foveantur, vel in balneo cali-
 do detineantur, opus est. Neque tamen vitam vix ad unam
 alteramve horam, rarius ad dies vel hebdomadas aliquot,
 protrahunt, sed moriuntur omnes, antequam maturescant.
 Funiculus quoque umbilicalis in his tenuior citius solito
 exarescit et decidit. Exempla istiusmodi partuum vivorum

et non vitalium videre licet in AMMANNO, o) VALENTINO, p)
ZITTMANNO, q) ZACCHIA r) aliisque. BOHNIVS s) etiam in
septimestri partu has imperfectionis notas allegat, quas ta-
men infantibus quibusdam, aetate minoribus, scilicet sexti-
mestri et quinquemestri, competere alii affirmant. Patet,
inquit, omnem septimestrem cum aliis praecocioribus illud pecu-
liare habere, ut non undique absolutus compareat, sed vel ca-
pitis commissuris hiantibus, vel aurum meatibus oppilatis,
digitis manuum ac pedum connexis, podice vel arctius clauso,
vel nimis biante, et aliis simul notis insignitus prodeat, quae
eum imperfectiorem praemonstrent, non ploret, non sugat, non
sternutet, nec urinam et alvi faeces reddat, etc. adeo, ut, quæ
secus nascantur, non pro septimestribus, sed maturioribus, sint
habendi. Generatim eiusmodi foetus non vitalis, etiam si
vivus, vere et proprie abortivus est, ideoque vivus manere et
adolescere nequit.

§. XIV.

Contraria ex parte, infans *vitalis* alias, et potiores, quam Signa par-
simpliciter vivus et non vitalis, notas perfectionis et maturi-
tatis exhibet. Evidem inter hos ipsos vitales quaedam in-
tercedit differentia. Alii enim sunt *magis et frequentius vi-*
tates, ii nempe, qui ordinarium et completum nascendi tem-
pus, scilicet post novem gestationis menses completos, asse-
cuti sunt. Alii vero *minus et rarius vitales*, septimo nem-
pe vel octavo mense editi, aliquas immaturitatis species prae-
se ferunt. Id ipsum, cum mulierculis, vel etiam obstetrici-
bus, post levem infantis recens nati inspectionem satis cogni-

o) Medic. critic. Cas. I. p. 34. seqq.

p) Pandect. Med. legal. Part. I. Sect. I. Cas. XXIII. p. 82, Cas. 25. p. 86.

q) Med. forens. Cent. VI. Cas. 8. p. 1439. r) l. c.

s) de offic. med. Part. II. Cap. V. p. 619.

rum sit ; haud videtur opus esse , indicia quaedam eius rei
 hoc referre. Ne tamen vel in his criteriis recensendis de-
 ficiamus ; potiora dignoscendi momenta attingere placet. Illi
 nempe *perfecte maturi et non imestres partus*, dummodo sani
 prodierint, nec tempore graviditatis, per morbum matris
 in incremento suo retardati sint, magnitudine et perfectione
 corporis partiumque omnium vel maxime conspicua alios
 non vitales longe antecellunt, unguibus in digitis, et capillis
 in capite instructi , aures apertas habent, oculos saepe ape-
 riunt, iisdemque ultiro circumspiciunt , clara voce plorant,
 sugunt potenter et crebro , cibumque convenientem avide
 capiunt, in partu etiam conatibus suis labores matris parti-
 rientis adiuvant, funiculo umbilicali crassiori praediti, paulo
 tardius illius exarescentiam et casum experiuntur; meconium
 etiam et urinam copiose , sponte et crebro , excernunt, ac in
 dies incrementa virium corporisque sui capiunt, ideoque, nisi
 damno quodam aut morbo interveniente frangantur , super-
 stites manent, et adolescentur. *Qui vero septimo, vel octavo*
mense eduntur , quoniam illis perfecte maturis naturali et
 consueto termino inferiores sunt, signis etiam istis vitalitatis
 respective minores sunt, scilicet non tam validi et magni,
 sed teneriores , et ad actiones motusque minus prompti,
 somnolenti, et imbecilliores, ideoque multi ex his moriun-
 tur; fuere tamen ex istis non pauci, qui vitam retinuerint, et
 maturitatem, qua ob praecocem partum defecerant, extra
 uterum adepti, et senectutem assecuti sint, prouti in sequen-
 tibus videbimus. *Quo magis autem signa ista ad naturam*
perfecti et maturi infantis accedunt, eo magis vitalem esse
partum coniicimus ; et contra, quo longius ab his criteriis
recedunt, et maiora imperfectionis indicia praebent, eo minus
partum vitalem censendum esse decernimus. A sola enim vitae
 praesentia ad vitalitatem eius concludere , fallax et periculi-
 plenum argumentum est.

§. XV.

Quaestio iam incidit , quantum requiratur *temporis* , Neces-
 et quo usque foetum gestare teneatur grava , donec *par-*
tus evadat vel vivus , vel vitalis. Non levioris causae *par-*
tus evadat vel vivus , vel vitalis. Non levioris causae *par-*
 argumentum esse , sequentia docebunt exempla. Quoties *investi-*
 enim non accidit , ut coniuges neo- nupti castitatis , ante
 celebratas nuptias violatae , accusati sint , si quando post
 quintum aut sextum matrimonii mensem neo- nupta infan-
 tem ediderit vivum quidem , at paucis post partum momen-
 tis vel horis , ob immaturitatem suam , vita defunctum.
 Partum eiusmodi , neglecta inspectione istius imperfectionis
 et abortivi habitus , neque pro legitimo , neque pro hone-
 ste et ex iusto thoro concepto , sed pro spurio , declaratum ,
 et privilegiis honestae nativitatis privatum esse , historiae
 quaedam testantur. Parentes hinc violatae pudicitiae incre-
 pati , et praeter meritum poena affecti sunt ; et si forte ma-
 ritus accusati vitii insons extiterit , infanti paternitatem de-
 negans , uxorem suam , quasi ante nuptias ab alio stupra-
 tam , tanquam dolosam adulteram , per divortium ab ipso
 divellendam petiit ; cum tamen intemerata femina criminis
 istius commissi prorsus expers extiterit , nec nisi consci-
 entiam puram et intaminatam opponere potuerit. Alio tem-
 pore alii coniuges , temeratae ante nuptias pudicitiae probe-
 sibi consci , omnem poenae et opprobii vindictam subterfu-
 gerunt , spuriumque suum pro legitimo et honestissime nato
 foetu habendum venditarunt , dummodo 182. dies a celebra-
 tis nuptiis numerare potuerint , utpote quo tempore leges ex
 Hippocratis effato vivum legitimumque foetum nasci posse sta-
 tuunt. Quamvis etiam tunc foetus inspectio omissa , nec
 eius maturitas , quae nempe novem gestationis menses , et
 anticipatum concubitum argueret , satis cognita fuerit ; ni-
 hilominus tamen aliquando talis pro septimestri , vivo , vi-
 tali et legitimo , aliis obtrudi visus , ac si non ultra 182.

dies potuisset concipi ; puerperis interea in sinu ridentibus Iudiciorum absolutiones , prouti LVDOVICI t) aliquot exemplis comprobat. Omnis haec iniqüitas non aliunde petenda , nisi ex vivi et vitalis partus confusione , neglectaque eius cognitione et differentia , atque favore matrimonii aut nimium extenso , aut intempestive posthabito ; unde vel innocentem condemnari , vel reum a poena promerita absolvi , aliquando contigit , ceu aliquibus exemplis docere possem , quae nunc sciens prudensque praetermitto. In sequentibus autem plures occurrent casus , quae laesam iustitiam , et damna ex intermisso vivi , vitalis , et non vitalis partus discrimine oriunda , probare poterunt. Ex antecedentibus vero liquido constat , operae pretium esse , certa statuere legum fundamenta de termino , quo foetus in utero vivere , vivus ex utero prodire , atque si demum vivus natus est , qualis partus vivus manere , et vitalis cognominari queat ?

§. XVI.

De termino , a quo foetus in utero vivat.

Si varias Auctorum sententias de tempore , quo foetus in utero vivere incipiat , et quando vivus nominandus sit ? attento animo pervolvimus , nonnulli sibi persuasum habent , foetum vitam suam haud prius acquirere , donec is sese in utero movere cooperit , adeo eminenter , ut mater eius agitationem percipiat. Id quod cum circa medium gestationis tempus , scilicet vigesima , interdum autem XVI. XVII. XVIII. XIX. gestationis hebdomade , fieri soleat ; non dubitarunt , foetum ante illud tempus pro mortuo aestimare. Quin imo fuerunt , qui ante vitae eminentis tempus foetum ne quidem hominis nomine et iuribus dignum censuerint ; qua de re legi meretur doctissima Commentatio Venerandi bius Academiae Senioris , Excellentissimi Celeberrimique Dom. Prof.

t) Miscell. Nat. Cur. D. I. A. VIII. Obs. 69. p. 117.

Prof. SCHVVARZIL ^{u)}). Alii, quibus *istud tempus*, *quo foetus vita careret*, iusto longius visum est, breviorum terminum definire maluerunt. In primis vero aliqui, qui vitae ortum ab infusione animae deducendum censuerunt, modo septimum, modo decimum quartum diem, modo mensem et ultra, post conceptionem factam, pro termino vitae inchoatae decreverunt. Ex adverso, alii eo usque processere, ut foetum, quam diu in utero est, et nondum respirat, (non autem respirat, dum in utero est,) pro mortuo et non vivente habendum censuerint, affirmantes; *vitam non posse esse sine respiratione*; *viventem non spirare*, et *spirantem non vivere*, *impossibile esse*; *ideoque vivere non videri eum*, *qui in utero est*, *eumque*, *qui vivere non potest*, *pro mortuo haberi* etc. quarum sententiarum Patronos ZACCHIAS ^{vv}) allegat. Nil dicam de eo, quod isti Auctores rationes vivendi in utero, ab iis hominibus, qui in libero aere vivunt, satis pensitare et discernere intermisserint. Nec in recensendis revellendisque aliorum vanis opinionibus operam perdam. Nostris enim temporibus per indefessam Physicorum Medicorumque celeberrimorum industriam meliora edocti sumus. Ex quo enim solertissimus acutissimusque HARVEIUS, ^{x)} vir meritis et doctrina immortalis, praeter alia utilissima inventa, etiam abstrusum generacionis opus accuratius peruestigavit, multisque comprobavit experimentis et rationibus, vitam corporis nostri potissimum

^{u)} In §. VII. p. 15. diss. de iure hominum nasciturorum, Ao. 1725.

Altorfii habita, quam Doctiss. IOH. ALB. SPIESIVS, nunc I. V. D. et Philos. P. P. celeb. concinnavit, et publice defendit.

^{vv)} Quaestion. Medico - legal. Lib. I. Tit. I. Quaest. 3. n. 12. Quaest.

II. n. 23.

^{x)} Tr. de generatione animalium.

mum circulari perennique sanguinis motu sustineri ; nemo, nisi coeca fiducia antiquorum placitis inhaerens , vel aliis praeiudiciis obrutus , sanioribus saeculi nostri principiis fidem et assensum dare recusabit , quibus convincimur , *embryonem statim a conceptione peracta vitae initium facere* , licet ad hancce suam vitam protrahendam sustentatione matris per plures menses indigeat. Simul enim , ac ovulum matrum , atque rudimenta hominis in illo latentia , post congressum utriusque sexus fecundum , primum convenientemque accepit impetum , quo humores in illo agitari , et in circulum quendam moveri ordiuntur , statim motus vitae animali aemulus suscipitur , corculum movetur , partes nutritiuntur , succrescunt , augentur , et ita vitam vivit suam embryo. Quamvis etiam mater non parum contribuat ad vitam foetus continuandam ; haec tamen adminicula sola haud sufficerent , nisi foetus suam simul vivendi potestatem haberet coniunctam , qua nempe subsidia a matre petenda in commodum incrementum , et perfectionem corporis sui dirigeret valeret. Nullum itaque superest dubium , quin *foetus a prima conceptione usque ad partum* , (nisi per morbum , aut casum quendam alium , sua vivendi facultate privetur ,) *vere et actu , pro ratione conditionis suae , vivat.*

§. XVII.

Quo tempore vivus pter incrementi necessitatem vivere debeat ; exinde tamen non sequitur , illum omni tempore , qualicunque per partum utero egrediatur , vel potius expellatur , vivum in hanc lucem prodire posse , aut oportere. Cum enim in utero detentus , usque ad quintum ferme mensem , vel nulla prorsus , vel pauca saltem , evidentia signa vitae prodere valeat ; quomodo quaeso talia indicia extra uterum exercere poterit , ex quibus vita eius evidenter in oculos incurrat ? Enim vero

vero musculi artuum ante quartum mensem nimium molles, teneri, et adhuc imperfecti sunt, ut membra externa notabiliter et potenter flecti aut agitari nequeant. Neque tamen certius de vita foetus recens nati convincimur, ac ex aperto motu artuum, vel ex respiratione et vagitu infantis. At enim vero, quomodo illos motus praestabit foetus extra uterum, quos in utero ob organorum infirmitatem nondum instituere valuit? Ideoque mirum non est, *foetum unius, duorum, trium, vel quatuor mensium, abortu exclusum, nulla vitae indicia post partum edere.* Id ipsum tamen non illud simul infert, hosce foetus etiam in utero non uixisse. Antea enim comprobavimus, foetum circulo humorum, nutritione, secrezione, incremento, aliisque actibus naturilibus et respective vitalibus gaudere, consequenter *vere in utero vivere.* Sufficit, *foetum primis quatuor mensibus in utero vita haud destitui, eundemque pro vivo, non autem pro mortuo, habendum esse, licet isto tempore vivus haud nascatur.* Quamvis etiam vivus tunc edi posset; attamen ex supra allegatis causis ne aliqua quidem vitae praesentis criteria ex illo colligendi occasionem nancisceremur; siquidem ob tenerissimam partium constitutionem cito vita simul post partum privaretur. Ad rarissimos enim pertinet casus, quem MARCICEAVY) narrat de foetu quodam trimestri abortivo, qui, licet statura valde parvus, vivus tamen natus est, et per dimidiam horam tam brachia, quam pedes, commovit, atque ostendit maxillis aliquoties aperuit, ita, ut quilibet adstantium facile hunc motum cognoscere potuerit.

§. XVIII.

Ita vero haud adeo difficile est hariolari, quo tempore partus vivus ex abortivis banc in lucem prodire queat. Cum enim fundamenti loco ponamus, nos ex motu membrorum

D

De tempore, quo vivus quidem, ast non vitalis, nascatur foetus.

et respiratione foetus recens nati, vitam eius actu praesentem cognoscere posse; vero videtur simillimum, ab eo tempore, quo *gravida motum foetus in utero sentit, vivum etiam partum exspectandum*, sperandumque esse, ut infans, dummodo ante partum vitam nondum perdiderit, eosdem membrorum motus, quos in utero exercuit, etiam extra uterum aliquantisper repetere, adeoque non nulla, etsi non omnia, vitae indicia edere valeat. Haec etsi rationi uel maxime consentanea sunt; obstant tamen ex aliqua parte tam experientia, quam aliae causae incidentes, quo minus terminus vivi partus, a tempore primi motus, in utero percepti, pro certo et indubio statui possit. Vix enim aliquae reperiuntur observationes medicorum, pro certo affirmantium, se isto tempore, quo nempe foetus primum in utero sese movere coepit, vivos abortus vidisse, sed potius plerosque mortuos excretos esse. Neque vero certus statusque dies vivi partus ab isto termino definiri potest ideo, quod primus foetus motus non in omnibus gravidis eodem semper tempore percipitur. Communissime quidem is medio gestationis termino, scilicet hebdomade XX, uel mensibus solaribus quatuor cum dimidio elapsis, accidit. Non pauci tamen artis obstetricandi periti, et qui curam gravidarum habuerunt, fidem suam interponunt, aliquando praegnantes citius, nimirum XV. XVI. XVII. XVIII. et XVIII hebdomade ab impraegnatione, foetum in utero sese moventem iam iam sensisse. Praeter haec alia interveniunt impedimenta, quo minus tunc temporis abortus prodire vivus queat. Textura enim quadrimestris vel paullo adultioris foetus adeo tenera est debilisque, ut pressiones matricis et genitalium, in partu solemnes, et ad enitendum foetum pertinentes, sine ullo vitae detimento perferrere nequeat, ut potius in ipso parturitionis actu hoc facilius vita privari possit, quo magis opus habet, ut vitae suae continuationem a matris adminiculis in utero acquirat. Si enim

et 100 anni undeviginti
quinque-

quinquemestres et sextimestres, utpote nonnihil perfectiores, rarissime vivi excludantur; fieri vix potest, ut aetate et robore minores vivi in hanc lucem veniant. His accedit, quod primi motus infantis non adeo frequentes in utero percipientur, quam ubi infans quintum aut sextum gestationis mensem compleverit; ideoque extra uterum non frequentius ad motum exercendum aptus erit. Has ob causas tutius agemus, foetum paullo perfectiorem, scilicet *quinquemestrem*, *admittere*, qui *vivus nasci possit*, licet ex ante (§ XVII.) allegata MAVRICEAV historia non impossibile uideatur, aliquando aetate minorem vivum prodiisse.

§. XVIII.

De *quinquemestribus* autem et *sextimestribus*, quod *vivi* utero interdum egressi sint, dubium non est, postquam non pauca eiusmodi vivorum partuum exempla passim in libris Medicorum inveniuntur. Laudatus MAVRICEAV z), DE LA MOTTE aa), ZITTMANNVS bb), AMMANNVS cc), alii que plures, huiusmodi annotarunt partus vivos quidem editos, sed non longo post tempore vita rursus defunctos. *Vtrum vero vitales simul sint pronunciandi*, observationes Auditorum, passim allegatae, mihi nondum persuadere valent, ut affirmare eorum vitalitatem ausim. Quod enim de *trimestri partu vitali* apud PANCROLLVM dd) legitur, inter fabulas pertinet. Nec mirari satis possum, quod incluta facultas medica Erfurtensis, ex recensione VALENTINI ee), *abortum*

D 2

trime-

z) In observat. VIII. XXXV. CCLXVIII. CCCXX. CCCXXXII.

Idem obs. XIII. XXVIII. CCXXI. CCCXXXVI.

aa) Traité des Maladies des grossesf. cap. XVII. obs. 39. 140. Part. II. cap. XVI. obs. 136.

bb) loc. cit. pag. 53. cc) loc. cit.

dd) In nouis repertis, a SALMVTHO editis, Lib. II. Tit. X. p. 477.

ee) Pand. Med. Legal. P. I. S. I. Cas. 23. p. 82.

trimestrem enunciaverit vitalem et legitimum, quia puerus iste vix ad dimidiam magnitudinem, in aliis infantibus conspicuam, deductus, perfecteque e partibus teneroribus efformatus, nonnulla quidem vitae indicia praebuerit, at paullo post, intra horas aliquot, exspiraverit. Ecquis enim est, qui concedat, partum trimestrem ad dimidiam magnitudinem foetus maturi prope accedere, aut per aliquot horas vivere posse? Istum potius quinuemestris partus formam retulisse, maiori cum fiducia adstruere potuissent.

§. XX.

Exempla
quinquemestrum
et sextimestrum
vitalium
partim du-
bia, par-
tim falso
asserta.

Operae pretium erit, exempla partuum quinuemestrum et sextimestrum, quos ante aliquot inde saecula pro vitalibus venditarunt, accuratius pensitare. Cum enim tantorum virorum auctoritas multos adeo ceperit, ut historias quinuemestrum vitalium omni exceptione maiores habeant, easque, tanquam infallibiles, alter ex altero excerptat, et ad defendendam causam suam, etiamsi lubricam, intrepide alleget; non inutile erit, si doceam, fundamenta ista valde infirma, et errorum plena dogmata esse. Ut itaque praeiudicia ista et asyla iniquitatis convellam et removeam; paullo attenius eas perlustrabo observationes, quae pleniori cum recensione consignatae sunt: ita enim de reliquis et imperfectis narrationibus facilius erit sententiam adnectere. Primum BENED. SILVATICI ff) casum, ad quem non pauci provocant, referam: *De foetu, inquit, nato quinto mense, XXVII Ian. proxime elapso, pro comperto nil statui potest; cum non constet ex historia de tempore conceptionis, sed de partu tantum, qui perfecti sane foetus fuit; quia magnus et uitalis, cum vagiret alta voce, atque lac ex mammis exsugeret. Totius itaque cardo rei in eo vertitur, utrum partus hic sit novi-*

novimestrīs, vel potuerit esse quinquemestrīs, vel immaturioris
aetatis. Qua de re licet certi quicquam pronunciare non au-
sim; dixerim tamen, quod si fuerit quinquemestrīs, omnibus
nihilominus partus vitalis dotibus, ut ita dicam, potuit
esse instrūtus. Nemo non videt, ipsum auctorem, de ma-
tūritate foetus istius convictum, iure méritoque dubitare,
utrum quinquemestrēm, an vero potius nonimestrēm, pro-
nunciare, fas sit. Idea enim nonimestrīs cum hoc quam
maxime convenit, et nemo prudens asseverabit, istum ve-
re quinquemestrēm extitisse. Alteram historiam ex PETRO
DE PERAMATO gg) recenset CASP. A REIES bb) de puella,
quarto aut quinto die post quintum mensēm, praegressā uterī
ex percussione haemorrhagia, aborsu excreta, quae primum
sub forma corporis cuiusdam rotundi, humani capitis ma-
gnitudinem aequantis, prodīt, et tanquam inutile quid
sub lecto cubiculari reposita est, donec matri puerperae
consultum fuerat. Quo peracto, curiosae mulierculae mem-
branam forfice exciderunt, quae crassa admodum exti-
ma, intima maius aliquid servante. Ulterius incisione facta,
apparuit mox puella, longitudine decem aut octo digitorum,
tam gracilis, et immaturo temporis exitu a perfecta foetus
humani firmitudine adeo distans, ut in singula momenta spiri-
tum trabere non posse videretur, quam tamen servatam fuisse,
ait, dum in primis duobus diebus lacte infundibulo immisso,
tertio iam sugere coepit, ac tandem vitalis extitit. Hanc
historiam, addit, omnem excedere admirationem. Mihi vero
fidem omnem excedere videtur, qui factum sit, ut foetus
quadrimestrīs tertio iam die sugere cooperit, et sub lecto re-
iectus supervivere, crassis membranis, ceu placenta valida, in-
volvi, ac effuso amnii liquore capitis humani magnitudi-

gg) Lib. de hominis procreat. Cap. VIII.

bb) In Elys. iucundar. Quaeit. XC. p. m 686. 687.

nem referre potuerit , nisi septimestris complicati foetus magnitudinem nactus fuisset. Ideoque patet , vel hunc partum pro quadrimestri non , nisi a credulis mulierculis , agnoscere posse. In aliis similibusque casibus , quos SCHENCKIVS *ii*) ex MONTVO , CARDANO , MENA , et VALLESIO , collegit , itemque in *iis* , qui in VALENTINO *kk*) et AMMANNO *ll*) enumerantur , praeter *communem famam* , et *puerperarum opinionem* , nullum , quod certos nos reddat , argumentum continetur. Notum autem est , quantum fidei tribuendum vulgaribus hominum persuasionibus , et mulierculis , utpote quas saepius in computando gestationis tempore falli novimus. Non admodum rari sunt casus gravidarum , quae primis a conceptione mensibus menstruum fluxum statim tempore aliquoties revertentem expertae , ideoque valde deceptae sunt , si ab illo demum cessante terminum graviditatis deduxerint. Neque *eiusmodi partuum adulorum debilitas* , *pallor faciei* , et *gracilis corporis* , quam ceu imperfecti partus testimonium allegarunt , certum praebet documentum , istos homines *quinto mense* natos esse ; cum nonimestres aliquando nascantur , qui pumiliones evadant , si quando natura in incremento corporis provehendo defecerit. Hanc etiam ob causam , an SPIGELII *mm*) tabellarius Zeelandiae , etsi publico urbis Medioburgensis testimonio instructus , pro quinque - aut sextimestri partu habendus sit ? valde ambigo. Cum itaque *historiae eiusmodi partuum vitalium* , *V* vel *VI mense editorum* , partim aperte falsae , partim admodum dubiae , sint ; nec similes casus nostris temporis

ii) In Observat. Med. Lib. IV. p. m. 637.

kk) I. c. Cas. XXVII. p. 107.

ll) loc. cit. Cas. I. p. 8.

mm) Lib. de formato foetu , Part. III , cap. VII. p. 62.

poribus, (postquam KERCKRINGIVS *nn*) regulam magnitudinis foetuum pro diversitate aetatum metienda subministravit,) amplius audiantur: satis constat, ex iisdem veterum observationibus certam probandi vim minime deducendam esse, eosque minus secure processisse, qui apud VALENTINVM *oo*), auctoritate istarum historiarum seducti, infantem quendam, etiamsi eum *omnibus modis absolutum* cognoverint, nihilo minus pro *quinquemestri*, *vitali* et *legitimo*, defendendum haud dubitarunt. Ex adverso, laudandus omnino GOELICKIVS *pp*), quod ipse pristinam sententiam suam, prius acriter contra CAR. FRID. LVTHERVUM *qq*) defensam, ultro revocaverit, partusque *quinto et sexto mense natos non amplius vitales pronunciari posse statuerit*, postquam differentiam partus vivi et vitalis intimius perspexerat. Bene recteque hac de re ZACCHIAS *rr*): non obstaret, inquit, quod quis in *VI mense* nasceretur, et per aliquot horas, aut etiam dies, viveret, ut fieri posse non est ita impossibile, quin aliquando non contingat; cum alias vivere posse dicatur foetus, qui per momentum vixerit: Bart. in *I.* quod dicitur *ff. de liber. et posth.* Nam quia hic partus habet cum vita talem repugnantiam, ut vivere nullo modo possit, nisi ex miraculo; idcirco abortivus dici debet, neque testamentum, neque donationem rumpere, neque aliud quidquam illi prodesse, quod vero ac naturali partui prodesse solet. Idem *ss*) ex mente TIRAQVELLI statuit, *infantem*, ante *septimum mens*

nn) In Osteogenia foetuum.

oo) loc. cit. p. 86.

pp) in diff. de partu octimestri vitali et legitimo §. XXII. p. 37.

Eiusd. Medic. forens. S. II. Spec. I. §. 5. et 7. p. 9.

qq) In disput. de partu hominis vitalis naturali et vero termino.

rr) Quaest. Med. leg. Lib. I. Tit. II. Quaest. X. n. 19. 20.

ss) I. c. Lib. I. T. II. Quaest. 2. n. 18. 21.

sem natum, comparandum esse ei, qui nunquam natus est. HIPPOCRATES *tt*), ARISTOTELES *uu*), PLINIUS *vvvv*), alii-que, disertis verbis enunciant, *foetum, qui maturius, quam septimo mense prodit, nullo pacto vitalem esse.* Quam-vis autem huic sententiae plerique medicorum et ICtorum subscribant: nihilominus tamen haud adeo angusto termino septimum mensem partum attingere aut completere oportet, quin uno vel altero die citius vitalem nasci posse admittant; id quod etiam VPIANVS Leg. 3. § fin. ff. de suis et legit, hered. concedit, ad HIPOCRATIS auctoritatem provocans, *centesimo octogesimo secundo die natum, iusto tempore natum videri.* Haec satis monstrant, *partum V vel VI mense natum, vivum quidem, at non vitalem, prodire, nisi forte sextimestris proxime ad septimum mensem accedat.*

§. XXI.

Quo tem-pore vivi et vitales nascantur. Hactenus de tempore, quo usque vivus quidem, at non *vitalis, nasci possit, differui.* Nunc quoque in illud inqui-dendum, quo *et vivus, et vitalis, partus hanc lucem videre valeat.* De *nonimestri*, utpote maturo et naturali, omniumque maxime consueto termino prognato, quod *vitalis* sit, nemo dubitat. De *decimestri*, *undecimestri*, et *duodecimestri*, aut si quis ultra in utero commoratus sit, non minus constat, eiusmodi partum, si vivus prodeat, etiam tanto magis *vitalem* pronunciandum esse, quo maior in ipso maturitas, organorumque ad vivendum et adolescen-dum perfectio, obtinuit. De *septimestri* autem et *octimestri* sunt, qui dubitant. *Octimestrem enim nullum, nisi in Aegypto, vitalem nasci,* HIPPOCRATES *xx*), vel si quis aliis

tt) Lib. de Carnib. et de Septimestri partu.

uu) Lib. VII. de hist. animal. Cap. IV.

vv vv) Nat. Hist. Lib. VII. Cap. V.

xx) Lib. de Carnibus, circa fin. et Lib. de Octimestri partu in principio.

alius , statuit. Hancce sententiam et si non pauci coeca fide
sint amplexi ; eandem tamen CARANZA (yy) , BONAVENTVRA
(zz) , SPERLINGIVS (aaa) , DIEMERBROECKIVS (bbb) , DRELIN-
CVRTIVS (ccc) , ZACCHIAS (ddd) , TEICHMEYER (eee) , ALBER-
TI , (fff) et in primis GOELICKE (ggg) , tam exemplis , quam
rationibus , abunde refutarunt , et octimestris vitalitatem
adstruxerunt. His accedit VVEDELIVS (hhh) : Octimestres , in-
quit , omnino non vitales esse , falsum est , et in scholis me-
dicis tralatitium , hinc inde exscriptum ; si enim septimestres
sunt vitales , tanquam minus maturi , cur non octimestres
quoque tales sint , qui non minus perfecti , et maturiores illis
sunt omnino ? Neque hic aliquid facit vel numerus , vel quod
Saturnus praesidere fingatur octavo mensi. MAURICEAV (iii)
ex ducentis octimestribus , quos ipse manibus obstetricanti-
bus diverso tempore exceptit , plus quam dimidiam partem
mansisse superstitem , perhibet. Nec est , cur hodie amplius de
eiusmodi partuum vitalitate dubitemus , utpote quam frequentes
observationes satis confirmant , licet minus maturi sint no-
nimestribus. De septimestri partu , tanquam respective minus
maturo , num vitalis sit , magis dubitandum foret , quam de
octimestri ; et laudatus MAURICEAV (kkk) negat , se unquam

EASTONISHING *talens*

yy) de partu naturali et legit.

22) de octimestri partu.

aaa) de format. foetus in utero.

bbb) Anat. Corp. hum. Lib. I. Cap. XXXVI. p. 324.

ccc) de partu octimestri vitali.

ddd) l. c. lib. I. Tit. II. Quaest. IV.

^{eee}) loc. cit. Cap. IX. Quaest. X.

fff) loc. cit. p. 152. seqq.

g g g) diff. de octimestri part. vital. et legit.

Physiol. med. Sect. III. Cap. XXXI. p. 222.

(iii) In observat. CCXXV.

kkk) Observat. LXXIX. CCCVIII. CCCXXXXIV.

etalem vidisse vitalem, et plerosque eorum non ultra septem dies
 vixisse, affirmat. At enim vero idem auctor videtur in
 dignoscendo septimestri minus sollicitus fuisse, et aetate mi-
 nores pro septimestribus falso habuisse; siquidem ex eo palam
 fit, (l l l) dum septimestrem dimidio minorem et leviorum octi-
 mestri censuit; id quod tamen rei veritati repugnat.
 Hodie plus valet, crebrisque confirmatur exemplis illud,
 quod HIPPOCRATES (m m m) statuit, disertis verbis dicens:
*qui septimo mense nati sunt, supersunt quidam, licet ex mul-
 tis pauci.* Huic enim effato plurimi Medicorum ac ICtorum,
 ipsaeque Leges (l. septimo. ff. de stat. hom. l. Intestato, §. fin.
 de suis et legit. hered. etc.) assentiuntur. Annuit quoque
 ZACCHIAS (n n n), qui duos ipse expertus est casus partuum se-
 ptimestrium, qui, et si valde debiles et minus perfecti nati
 sint, attamen adoleverint, servatis per aetatem connatae im-
 becillitatis signis. PRIMEROSIVS (o o o) illis etiam accedit: *Septi-
 mestres, ait, vitales esse, ostendit experientia: tales plurimos
 vidi in Vasconia, nec id admodum rarum est in calidioribus
 regionibus.* LICETVS (p p p) de semet ipso fatetur, se, prouti
ex parentibus suis audiverit, septimo mense natum esse. Quin-
 imo SYLVIVS (q q q) auctor est, *quibusdam familiis integris com-
 mune et proprium fuisse, ut et ipsi parentes septimestres nati sint, et
 septimestres liberos procrearint vitales.* Tandem etiam WILD-
 VOGELIVS (r r r) contendit, tam apud Hebraeos, quam apud
 Graecorum ac Romanorum rempublicam, *septimestres pro legitimi-
 mis admissos esse.* His permotus documentis, non possum,
 quin

(l l l) Observat. CCXXV.

mmm) Lib. de partu septimestr.

n n n) loc. cit. Lib. I. Tit. II. Quaest. I. n. 86.

o o o) De morb. mulier. Lib. IV. Cap. VI. p. 287.

p p p) De monstris Lib. II. Cap. 69. p. 222.

q q q) Praxeos Med. Lib. III. Cap. VII. §. 19. p. 540.

r r r) In diff. de partu legitimo, § XI. p. 14.

qui concedam, *septimestrem vitalem quidem esse, at vero minus et rarius talem*; si quidem plures ex iis moriuntur, quam supervivunt. Quamvis etiam *octimestres* illis non nihil perfectiores edantur; attamen haud adeo usque *durabiles* et frequentius vitales evadunt, quam *nonimestres*, vel etiam *serius natū*, utpote qui *magis et saepius vitales esse* solent.

§. XXII.

Supereft, ut inquiramus in id, quantum *partus vivus et vitalis* cum *abortivo vel naturali, legitimo vel illegitimo, partus vi-*
perfecto vel imperfecto, maturo aut immaturo, conveniat, vel vus et vita-
lis convenient cum his discrepet? *Naturalis partus*, is nempe, qui non a posse
situ infantis, exitum ex utero connivente prono capite mo-
lientis, sed a frequentissimo nascendi termino nomen habet,
vocatur ille, qui statu a natura tempore, et a communi et in plu-
rimis gravidis observando gestationis fine determinatus est,
quo infantes maturi, et ad vitalitatem perfecti, ex naturali
quodam nascendi instinctu, non autem ex accidenti vel praeternali quodam impetu, hanc in lucem partu edi solent.
Id quod cum circa finem noni, vel sub initium decimi mensis solaris, vel circa quadragesimam hebdomadam, cum latitudine dierum aliquot, fieri consueverit; hinc talis partus propriè dicitur naturalis; qui vero tardius nascitur, serotinus audit. Dubium non est, quin eiusmodi naturalis, itemque serotinus, nunquam non cum *vitali*, eo nempe, qui *magis et saepius talis* (§ VII) est, conveniat, eiusque titulo compellari possit. *Abortivus* autem, (qui nempe non ex decreto naturae, sed per accidens, vel per morbum quendam, praeter ordinem naturae utero praemature eiicitur,) *latiori sensu usurpatus, omnis dicitur foetus, qui ante illud naturale na-*
scendi tempus prognatus est; ideoque minus et rarius vitales, scilicet septimestres et octimestres, simul quidem complecti-
tur; at vero, si strictiori sensu abortus sumatur, denotat eos,

qui ante septimum mensem , atque vel imperfecti , vel non vitales , eduntur ; eoque respectu nullus abortivus vitalis est , etiam si vivus aliquando sit. Exinde vero concludimus , omnem quidem partum naturalem , si vivus prodierit , esse vitalem ; ast non omnem vitalem vicissim esse absolute naturalem ; si quidem septimestrem , (utpote quem , ex Hippocratis sententia , tanquam critico , et ad pariendum a natura destinato , termino nasciturum hodie nemo prudens concedit ,) et octimestrem , quoniam ante naturalem terminum natus , et minus rariusque vitalis est , non tam naturalem , quam praecocem partum nominare malunt , cum ob vitalitatem proprie abortivus dici nequeat. Simpliciter autem vivus et non vitalis tantum cum abortivo , non vero cum naturali , coniungi potest , nisi vitalis sit. Huc enim redeunt definitiones partuum abortivorum et naturalium , quas celeberrimi medici et ICti habent ; nec abortivus , utpote non vitalis , iisdem privilegiis et iuribus gaudet , quibus vitalis , praecox , et naturalis.

§. XXIII.

Quomodo Progredior ad partum legitimum , disquisitus , quantum vivus et vitalis convenienter ant cum legitimo , vel illegitimo , foetum designarent . At multis rationibus utrosque distinguendos , nec promiscue permutandos esse , varia sunt , quae nos convincant . Si definitiones partus legitimi , passim reperiundae , inter se conferantur , tanta subest earum discrepancia et varietas , ut nescias , cuinam parti rectius subscribas . Tanta enim in hoc nomine obvia est ambiguitas , tamque frequens rerum confusio , ut animum , discendi cupidum , reddat dubium , vel saltem eundem , errores evitaturum , diu suspensum teneat . Nec mirandum , cur decisiones quaedam forenses adeo sinistre factae , et partium iura interdum gravem laisionem

sionem passae sint, vel adhuc in posterum forte cogantur pati. Ut vero ex labyrintho isto variarum opinionum nos extricemus, aliisque praeiudicia semel concepta feliciter eripiamus; opus est, ut partim generalem legitimi partus conceptum suppeditemus, partim eundem distinguamus in partum legitimum sensu medico, et Iuridico, usurpandum, utpote quam divisionem ALBERTI (sss), GOELICKE (ttt), et WILDVOGELIVS (uuu), caute amplexi sunt; ita nempe varios errorum scopulos facile evitabimus. Generatim legitimus partus est, qui secundum leges natus. ICtis etiam, teste CALVINO (vvvvvv), legitimum illud dicitur, quod lege aliqua, vel Senatus consulto, introductum, institutum, confirmatum, comprobatumque est. Evidem Medici in rebus pure medicis non statuta et consuetudines hominum, sed leges naturae et experientiam pro norma agnoscunt ad sententiam cum ratione proferendam. Ideoque, sicuti ex frequentissima constat observatione, eos, qui naturali pariendi termino eduntur, secundum legem naturae natos esse: ita sensu pure medico partus legitimus cum naturali (§. XXII) et maturo, (§. XIV) itemque cum vitali, saepius tali, (§ VII,) convenit. Quoniam autem medici aliquando in foro civili de partu legitimo respondere tenentur: idcirco ad legum civilium tenorem respiciant, necesse est, atque tunc partum legitimum maximam partem cum vitali convenire videbimus. Sensu Iuridico partus legitimus is est, qui ex iusto matrimonio, vel ex iustis nuptiis, tempore ad vivendum apto, quo hereditatem adire atque in alios transferre potest, monstrari abortionisque expers, perfecte et totus in lucem est editus. Ita nempe non solum WILDVOGE-

sss) In Iurisprud. Med. Part. I. Cap. VII. §. IV. p. 142.

ttt) I. c. Part. II. Sect. I. §. 4. p. 6.

uuu) in Diff. de partu legit. §. 2.

vvvvvv) In Lexic. iurid. p. 1081.

LIVS (xxx), LINCKIUS (yyy), et alii ICti, sed etiam TEICHMEYER (zzz,) legitimū partū definiunt. Si consideremus finē, ad quem ista definitio respiciat; duplex utique scopus est. Alter, ubi quaeritur de honesta nativitate, ea nempe, quae ex iusto thoro et matrimonio conceptum procreatūque vocat legitimū; illegitimum vero spurium, vel naturalem, sensu politico acceptum. Vnde quoque nothos, quibus macula spuria nativitatis ex Auctoritate Caesarea deletur, legitimatos cognominant. Alter scopus respicit tempus illud, quo vivus vel vitalis infans humanus edatur, et quo ad hereditatem vel accipiendam, vel transferendam, evadat idoneus; tunc enim opponitur abortivo proprie tali, monstro, portento, mortuo, ac nondum nato, utpote quem pro parte matris vel uteri habent, donec hoc egressus sit. L. 1. de ventr. inspic. Duo haec requisita legitimi partus, sicuti duplēm distinctumque finem habent; ita non semper utraque coniuncta adesse debent in partu legitimo, medice definiendo, sed interdum separatim contemplationem merentur. Fieri enim potest, ut spurius vel maxime vitalis, et naturali pariendi termino prognatus, sensu pure medico, et quoad iustum nascendi tempus, possit quidem legitimus vocari; cum tamen in foro civili, et respectu conceptionis illicitae, et extra matrimonium factae, spurius sit ac illegitimus. Vicissim, si ex iusto matrimonio infans abortivus tertio vel quarto mense nascatur, qui neque vivus, neque vitalis exclusus est; nemo hunc, priori scil. definitionis respectu, illegitimum vocare audebit, sed quilibet pro legitimo assumendum concedet; quamvis altero respectu, an scil. ad hereditatem transferendam sit idoneus,

xxx) In diff. de partu legit. §. 2. p. 4.

yyy) In diff. de partu hum. legit. et illegit.

zzz) loc. cit. Quaest. IV. p. 52.

neus, pro illegitimo haberi possit. Ex quo pater, utramque definitionis partem non semper ad quoslibet legitimos, vel illegitimos, partus quadrare. Alia enim quaestio est, utrum partus sit *spurius*, an legitime, et ex iusto matrimonio, conceptus? Alia vero quaestio est, an eo tempore, quo *heres* fieri, atque vel donationem, vel testamentum, rumpere possit, natus sit? Aliud nempe est, *ein ebelich und ehrlich*, aliud *ein zeitig und gliedmässiges, auch lebendiges Kind.* Priori conditione respicitur partim *ad parentes*, partim *ad tempus conceptionis*, utrum nempe ex coniugio legitimo, an vero ex congressu illicito, conceptus sit? Posteriori autem respectu inquiritur *tempus nascendi*, et an *vivus*, *vitalis*, *maturus* et *perfectus* editus sit infans? *Spurius* enim manet civiliter illegitimus et *spurius*, quocunque tempore sive *vivus* et *vitalis*, sive *mortuus*, edatur. Ex adverso, ex honesto iustoque thoro procreatus, est honeste et legitime natus, quandocunque hanc lucem viderit. Vbi vero *de hereditate* quaeritur, ibi *tempus nascendi* requiritur illud, quo vel *virus*, vel, ut alii sentiunt, *vitalis* prodit. Interim tamen, quia interdum duplex ista quaestio simul incidit; ideo tunc ad utramque respiciendum et respondendum est. Priorem nuptiae probant, in quarum iustam constitutionem I^Ctorum est inquirere. Medici tantum ex habitu, magnitudine, et perfectione partus iudicant de aetate eius, an scilicet haec cum tempore praetensae conceptionis conveniat, nec ne? Hoc loco non *generatio ad tempus tantum* illud, quo *vivus* vel *vitalis* nasci possit, respiciendum, quia facile *spurius* pro legitimo, sed falso, haberi posset; sed potius examinare oportet *qualitatem foetus*, an nempe is adultior et maior sit, quam qui a tempore nuptiarum, vel durante coniugio, conceptus esse queat. Si enim *perfectus*, *maturus*, et non imestris statura, attamen ante nonum mensem, ac praematro tempore, scilicet VIto vel septimo post nuptias mense natus est; indicium praebet sufficiens, illum ex

antic-

anticipato concubitu conceptum, ideoque non legitimum esse. Ad alteram vero quaestionem quod attinet, quo scilicet tempore ad hereditatem idoneus nascatur; discrepant auctores. Alii enim sufficere dicunt, dummodo *vivus* edatur. Ita CARPOZOVIVS (*aaaa*), partui *V* vel *VI* mense nato, etiam si nondum perfecto, *vivo* tamen, hereditatem deferendam censuit. Huius etiam sententiae patronos et examen habet WILDVOGELIUS (*bbbb*). Hac ratione partus *legitimus* conveniret cum *vivo*. Quoniam tamen sunt, qui secundum leges, *l. 12. ff. de stat. homin.* *l. intestat. §. 12. fin. de suis et legit.* *L. 3. C. de posthum.* *hered.* non nisi septimestrem et vitalem partum pro legitimo herede admittant, et abortivum proprie dictum excludant; ideo *legitimum* tunc cum *vitali* partu; *illegitimum* vero cum *abortivo*, et non *vitali*, convenire, intelligimus.

§. XXIV.

Quomo-
do conve-
niant cum
perfecto
et maturo.

Reliquum est, ut doceam, quomodo *partus perfectus* et *matus cum vivo aut vitali conveniat*. Evidem vulgo perfectus et matus pro uno eodemque habetur, et TEICHMEYER (*cccc*) perfectum ita definivit, ut alii maturum et naturalem solent. MARTIANVS (*ddd*) autem notabilem inter utrumque differentiam intercedere statuit, eandemque similitudine, a seminibus fructibusque petita, illustravit. Sicuti enim poma, si iustum partium magnitudinem et conformatiōnēm adepta sunt, perfecta quidem, ast nondum matura sunt, nec, nisi vi quadam et violento modo avellantur, a stipite paullatim exsiccato sponte decidunt, donec solis calore diutius excocta

aaaa) In decis. forens. P. III. Constit. XVII. Defin. 18.

bbbb) loc. cit. §. XII. p. 15. 16.

cccc) loc. cit. Cap. IX. Quaest. V. p. 52.

ddd) In Magno Hippocrate, Comment, in libr. de natura pueri, p. 31. 32.

cocta maturescant: pari modo foetus, quod ad membrorum numerum et organicam structuram attinet, *perfectus* quidem esse potest, ast *nondum matus*, nisi tempus gestationis *naturale* compleverit, et ex lege et ordine naturae exitum ex utero quae siverit, membrisque suis satis obfirmatus prodierit, ut aërem et alimenta extra uterum melius ferre, certiusque adolescere, valeat. Has ob causas foetus, V vel VI mense natus, quia organa omnia habet, perfectus quidem dici possit; ast quoniam illa adhuc nimis mollia, exigua, et *respective imperfecta* sunt, septimestrem et octimestrem pro *perfecto*, non imestrem autem et decimestrem pro *mature*, habendum esse statuunt. Idcirco *perfectus* partus cum *vitali*, eoque minus rariusque tali, *matus* autem cum *maxime vitali* et *naturale* partu communicat.

§. XXV.

Non inutile erit, remedia quaedam et modos anne^{te}-Remedia re, quorum ope pātū vitalem a vivo, non vitali, imper- et modifecto, immaturo, illegitimo, abortivo etc. dignoscere possi- inquirendi et testifi-^{mus}. In antecedentibus quidem, nimirum tam in signis candi de vivi et vitalis, (§ XIV) quam in descriptione naturalis, partu vi- legitimi, perfecti et maturi, (XXII, XXIII, XXIV) indicia vitali. quaedam praelibavimus. Ut autem cognoscamus, quibus permittendum sit, in ista inquirere criteria, aut testimonium de iisdem iustum certumque exhibere; non dubito affirmare, non solis mulierculis, nec obstetricibus tantum, illud negotium relinquendum esse. Quamvis enim peritae quaedam obstetrics, ex frequenti experientia et observatione, aliquas partuum differentias allegare norint: attamen, quia paucae admodum, si quidem ullae, sunt, quae singula atque prae-cipua dignoscendorum foetuum indicia calleant; satius erit, Medicis, hac in re bene versatis, inspectionem infan-

tum recens natorum committere. Quod enim BOHNIVS (eeee) de obstetricum testimonio, in causis fonticis infido, generatim pronunciavit, id etiam hac in re locum habere quodammodo potest: *In rebus*, inquit, *alicuius momenti*, et *ubi plus perspicacitatis atque peritia opus*, *obstetrices solae*, *sine Medicis*, *nec ad inspectionem*, *nec ad renunciationem*, *admittantur*, *iisve nunquam*, *nisi Medicus cuiusdam periti*, *aut integrum Collegium*, *assensus accesserit*, *fides habeatur*. Quamvis autem certa et definita mensura magnitudinis, aut ponderis, qua foetuum aetatem secundum certos diversosque menses metiri liceat, definiri haud possit; cum alter infans altero, etiamsi aetate haud impare, natura sua maior statura, vel minor, non tanto deprehendatur: nihilominus tamen non modo KERCKRINGII (ffff) modulum, quo magnitudinem in sceletis foetuum, singulis mensibus natorum, eleganter et sollicite delineavit, plurimum sequi expedit, sed etiam signa conceptionis praegressa probe examinanda, ut videamus, an tempus illud cum habitu et statura infantis conveniat, aut discrepet. Cavendum etiam, ne soli dierum numero, quo vitalem nasci posse autores diversimode statuunt, inhaereamus, sed foetus qualitatem, eiusque vivacem indolem, bene inspiciamus.

§. XXVI.

Vtilitas
huius dis-
quisitionis
in Medi-
cina.

In limine huius dissertationis promiseram, me sub finem eius utilitatem praesentis disquisitionis attingere velle: breviter itaque monstrabo, quem usum tam in Medicina, quam in Iurisprudentia, praestare queat. Medicis enim sequentia theorematata facile inde colligere poterunt. Confusionem par-

eeee) De offic. Med. Part. II. Cap. III. p. 569.

ffff) De osteogenia foetu.

tus vivi et vitalis, et promiscuam verborum istorum permutationem sollicite oportet evitare, ne aut proximum ignominia afficiamus, aut in bona eius simus iniurii. Hippocrati, octimestrem non vitalem pronuncianti, haud subscriendum. Astrologis etiam vanitates et ineptiae suae relinquenda, quibus foetum singulo mense alii planetae subiectum esse somniantur. Nec audiendus AMMANNVS, (gggg) ubi omnes, qui ante, vel post, IX aut X mensem nati sunt, pro illegitimis habet, id quod generatim admitti nequit, si sensu iuridico legitimum hic supponas; si vero sensu medico illum admittas, et pro partu naturali et maturo assumas, concedendum. Quod autem robur viri, et vigor atque iuventus feminae, partui anticipando, eidemque ante tempus naturale maturando, faveant, id experientiae fidae haud respondet, sed frustra ad defendendam malam causam a nonnullis allegatur. Quamvis etiam imbecilles feminae interdum vegetos infantes edant, nec omnis morbus foetui aperte noceat; fieri tamen potest, ut femina, graviori morbo affecta, serius pariat, si quando naturale foetus incrementum eiusque perfectio, ex morbo, vel alia causa, sufficientem nutritionem impediente, interceptum est, unde partus quidam serotini non omnino pro illegitimis censendi. Menses modo Solares, modo lunares, in tempore gestationis et partus definiendo subintellexisse Hippocrates videtur. Error calculi gravidarum saepius oritur ex computo, a mensibus subsistentibus ducto. Relatio temporis conceptionis et partus melius certiusque ex inspectione perfectionis et maturitatis infantis instituenda. Nam non ad tempus gestationis, (quia saepe dubium,) sed ad foetus conformatiōnē et integratēm, respiciendum. Maior cura in servandis minus vitalibus habenda, nec ideo negligi-

gendus octimestris, ac si natura haud vitalis esset. Sectio caesarea in foetu non vitali, licet vivo, frustraneus labor est, nisi forte baptismi necessitatem urgeas; vitales autem et vivi, praesertim e matre mortua, omnes exscindendi. Distinctionem inter foetum animatum et inanimatum tam e Iure, quam e medicina, tollendam esse, gravibus adstruxit rationibus ALBERTI (hhb). Et vere LVCETIVS cecinit: *Quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.* In decernendo infanticidio Medicus in primis eo respiciat, utrum foetus non tantum vivus, sed etiam an vitalis fuerit? Non vitalis, asseverante ZACCHIA, servari, nisi per miraculum, nequit. Pulmones foetuum, in aqua natantes, (si quidem aër non ab adstantibus aliis hominibus in os infantis inflatus, nec per putredinem ingeneratus est,) probant quidem, foetum fuisse vivum, sed ex hoc experimento non absolute sequitur, eundem simul extitisse vitalem.

§. XXVII.

Vfus in
iurispru-
dentia,

Vberiorem usum in iure praebet haec quaestio medico-legalis. Quantum enim ad hereditatem transferendam, testamentum et donationem rumpendam, successionem in feudiis acquirendam, itemque ad famam parentum, et legitimam honestamque infantum nativitatem, porro ad divorcium, poenam aut erogandam, aut declinandam, ad arcendos denique, vel admittendos in opificum societatibus liberos, vel ad alia damna inferenda, aut elidenda, faciat, non opus est, multis comprobare exemplis et testimoniosis, cum partim ex antecedentibus haec pateant, partim facilis negotio per rationem possint erui. Nec mearum partium est, haec amplius investigare, quae proprie ad Ictos spectant.

hhb) In Diff. de termino animat. foet. hum. Cap. V, §. 2. p. 77.

stant. Maximi vero momenti causam esse, vel inde concordamus, quoniam non tantum fama et bona, sed etiam vita ultimumque supplicium ab ista partuum differentia interdum dependet, et iustitiae vindici modo gladius iniqua ratione e manibus extorqueri, modo illa ad vindictam iusto rigidiorem inde incitari potest, nisi partuum vitalis et vivi indolem bene distinxeris. Si enim infans, vivus quidem, at non vitalis, clanculum nascatur; puerpera, quae scienter aut dolose neque abortum promovit, neque violentas manus partui intulit, non pro infanticida habenda, nec capite mulctanda venit, etiamsi non tam committendo, quam omittendo, peccasse videatur. Cum enim talis foetus in vita servari non potuisset, si vel omnibus vitae foetus servandae auxiliis instrutus fuisset; mitiorem utique et extraordinariam poenam irrogandam esse constat. Hinc non modo *Const. Crim. Caroli V.* (iii) ad poenam capitis requirit, ut infans perfectus et vitalis sit, sed etiam KRESSIVS (kkk) de infante non vitali laeso statuit, extraordinariae et arbitriae poenae locum esse. Aliter sentiendum, si quaedam clam ediderit vitalem. Tunc enim tam committendo, quam omittendo, peccasse videtur. Quin imo illa, quae abortum dolose et studio procuravit, etiamsi nec vivum, nec vitalem, partum remediis abortivis expulerit, veri nihil minus infanticidii rea manet, sicuti celeberr. IVNCKERVS (lll) nuper docuit. Constitutio enim illa Sixti V.

F 3

Ponti-

iii) Articulo CXXXI.

kkk) In Commentar. in Constit. Crim. Caroli V. Not. ad Artic. 131.

p. 421.

lll) In diff. de canone: quod non fit homicida, quae abortum pre-
corerit, antequam anima corpori sit infusa.

Pontificis Rom. (*mm m*) qua omnes , abortum malitiose procurantes , sive is animatus , sive inanimatus , formatus vel informis , fuerit , pro veris homicidis habendos esse statuit , fundamentis veris genuinisque medicis innititur ; licet successor eius , GREGORIUS XIV , (*nn nn*) ex nimia indulgentia istam rursus sustulerit . Denique iura Saxonica (*ooo o*) infantem vitalem requirere videntur , ut tota hereditas ad parentes traduci possit , dum sonorum vagitum poscunt , (*dass das Kind die 4. Winckel oder Ecken beschrieben haben solle ,*) qualem sonum non vitalis edere vix potest.

§. XXVIII.

Conclusio. Varios quidem errores , ex neglectu differentiae partus vivi et vitalis commissos , possem annexare ; at vero , quia ex antecedentibus utilitatem et necessitatem utrumque partum distinguendi satis comprobavi , ideoque proposito themati illustrando pro virium mearum tenuitate operam dedisse confido , atque Ictis relinquo ea , quae ex hoc theoremate ad emendationem quarundam legum iuris facere posse intelligant . DEO autem TRINVNI pro praestita opera gratias ago humillimas .

mm mm) In Bullar. magno , Tom. II. p. 648 .

nn nn) Ibid. pag. 709 .

ooo o) In speculo Saxon. et Land-Recht , Artic. 33. Lib. 3.

Corrig. Pag. 29. lin. 12. pro *quintum* , leg. *quartum* .



NOBILISSIMO DOM. CANDIDATO
 S. P. D.
 D. IO. NIC. WEIS. P. P.
 H. T. ACAD. RECTOR.

Amplissimum certe campum discendi ingreditur, qui artis salutaris studio sese dicare, in animo habet. Non enim tantum in rebus medicis bene versatum esse oportet; sed etiam in dogmata iurisprudentiae, praecipue illa, quae rationes suas decidendi ex fundamentis medicinae mutuantur, sedulo excurrere, ac iudici, sententiam laturo, auxiliatrices manus porrigere aliquando debet. Bene itaque recteque fecisti, mi BAVMGAERTNERE, quod ex illis thematis, quae speciminis inauguralis loco TIBI elaboranda proposueram, elegeris illud, quo non tantum insignem in arte nostra peritiam, sed etiam medicinae legalis et forensis doctrinam, satis comprobare potueris. Gratulor hōs ausus, quibus utramque medicinae partem te non leviter tetigisse monstras. Gratulor insimul optimo PARENTI TVO, VIRO IVRIS

IVRIS CONSULTISSIMO atque DOCTISSIMO, quod filium, paternam iuris scientiam cum Medicina coniungentem, honoribus Academicis proxime ornandum, amplecti possit. Fac itaque, mi Amice, citato cursu pergas, non modo ad amplificandam, quam bac in Musarum sede obviam habuisti, sanandi scientiam, sed ut aliis etiam cumulatus honoribus laborum, quos sustinebis, fructus decerpas. Vale! Dabam Altorfii, d. II. Ian. clxccxxxxvii.

Viui et uitalis quae sint discrimina partus,
BAVMGAERTNERE, graui cum ratione
doces.

Ut tibi, quam tua nunc pariet solertia,
laurus

Vitalis uireat tempus in omne, precor.

*Nobilissimo DOMINO CANDIDATO
paucis bisce gratulatur*

D. IO. IAC. KIRSTEN. P. P.
H. T. DECANVS.

OBIN COVT FIGURAS VENEG VENEG
284. BAVM-

B AVMGAERTNERE, TVI quem, Praestantis-
sime, docti

*Non imam partem certaminis esse uolebas:
 En adsum promtus, qui conferat arma, paratus.
 Non hostili animo surgo, sed pectore amico,
 Virtutisque TVAE uideor spectator adesse.
 Spectator tantum? Minime, sed uerus amator
 Doctrinaeque accedo TVAE, plausorque recedo,
 Atque eius, ueniet qui mox TIBI, cultor honoris.*

Praenobilissimo atque Doctissimo
DOMINO CANDIDATO
 summos in medicina honores
 proxime impetrandos gratu-
 latur

IOH. IAC. BAIER. Oppon.

ODo hoggi un Rimbombo tutto gravido d' applausi che porta seco, spinto dalla Fama stessa Ambasciadrice delle di lei Glorie, contenti, onori, e palme; Vedo con mio gran Godimento uscir da un Giardino cosi ben coltivato, e c' ha sempre prodotte piante scielte, e rieche de' frutti i piu rari, un Rampollo, il quale cumula di nuovi Lustri l' Eccellente Tronco che lo formò. Mi volgo à V. S. stimatis:mo Mio Signore, che vedo in questo Dì Salire ad una Dignità tanto sublime, ornamento in vero, meritato dalla sua virtù, e da tante altre belle Doti, come un Sole il quale sparge i suoi lieti raggi non solamente qui frà di noi, ove li riceve, mà sia alla Città sua natia, la quale coll' unire l' allegrezza di tutta la nobil di lei Casa, aspetta el gradito momento di congratularla, come fò qui io pure, d' un successo tanto insigne.

Non isdegni, Signore, questi miei animati inchiostri, che partono dalla sincerità d' un Cuore che vive tutto per lei.

D. B.

QVAE TIBI DOCTRINAe TRIBUUNTUR PRAEMIA, AMICE,
HAEC TIBI SINT, TOTO, PROSPERA, CORDE PRECOR.

HONORI
PRAE N O B I L I S S. E T C L A R I S S.
D O M I N I D O C T O R A N D I

HOC
O B S E R V A N T I A E
M O N V M E N T V M

P

C. A. S. G R V N E R.
C O B V R G E N S.

PHIL. ET MEDIC. CVLT.
OPPON.

Monsieur!

Monsieur !

ON ne sauroit ignorer, et les savans mêmes conviennent, que, non obstant les veilles, et les peines employées par beaucoup de Gens pour mieux faire éclater leur capacité, et s' aquerir par ce moyen, comme un bien propre, l' applaudissement de tout le monde, ont néanmoins été saisis d' une noble Crainte à la vue de ceux, qui devoient s' opposer par des Argumens, quelques fois fort - empêtrés, et très - rusés, à leurs thèses incomparables. Vous n' êtes pas de ce Nombre, Monsieur, car je remarque en vous, avec un plaisir extrême, une généreuse présence d' Esprit à combattre vos aimables adversaires, par les quels vous mettés aujourd' hui vôtre vertu à l' Epreuve pour donner un plus grand essor à la nouvelle Dignité, que vous allés recevoir. Je vous felicite, en mon particulier, du profond de mon Ame, Monsieur, de ce que vous venés de cueillir dans cette mémorable journée, les beaux fruits dont une diligence assidue vous a enrichi, des fruits dis - je dignes de l' arbre dont vous sortés. D' ailleurs vôtre départ m' est beaucoup sensible, je l' avoüe, mais en considérant les belles et admirables dépouilles, que vous allés emporter de cette docte et fameuse Pepiniere, me tient lieu de consolation, et doit en quelque maniere adoucir l' amertume, que vôtre séparation me va causer.

Agrées cependant, Mon cher Monsieur, les sincères expressions de celui, qui est et sera toute sa vie pour vous et pour toute vôtre illustre famille avec une estime inalterable.

F. E. IHL. Opposant.

51

So ists ; daß muntrer Fleis und eifriges Studiren,
 Nach langer Nächte Mühsamkeit
 Uns endlich aus der Dunkelheit
 Zum hellen Ehren-Tempel führen.

Dies zeigt DEIN edles Beyspiel an.
 Was wunder nun , daß Meditrine
 Heut ihren Schmuck DIK angethan,
 Damit DEIN Fleis ihr künftig diene.

Mit diesen geringen Zeilen wolte dem
 Hochedien Herrn Doctorand
 seine schuldigste Ergebenheit be-
 zeugen , Dessen ergebenster

Johann Christoph Weis /
 Philos. et Theol. Stud.

